

10  
1.  
10  
1.  
10  
1.  
2.  
10  
1.  
10  
1.  
2.  
3.



Q. D. B. V.  
EXERCITATIONIS  
HISTORICO-THEOLOGICÆ,  
DE  
CONCILIO  
GANGRENSI, 1688, 7.  
PARS PRIOR,

*Quam*  
PRÆSIDE  
SAMUELE SCHELGUIGIO,

S. Theol. D. & P.P. Athenæi Rectore,  
& ad S. S. Trinit. Pastore,


RESPONDENS  
THEOPHILUS MAJUS,  
Gedanensis,

NOBILISSIMI DICASTERII ALUMNUS,

*Solemniori Disquisitioni subicit,*

IN AUDITORIO MAXIMO,  
Die XXI. Octobris, M. DC. XXCIIX.

Horis matutinis.



G E D A N I,

Excudit DAVID-FRIDERICUS RHETIUS,  
ATHENÆI TYPOGRAPHUS.

INCLYTO  
CELEBERRIMÆ REIPUBLICÆ  
GEDANENSIS

D I C A S T E R I O,

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
D O M I N I S

DN. JOHANNI FERBERO,  
SENIORI,

DN. GODOFREDO à PESCHWITZ,  
CONSENIORI,

DN. DANIELI NIMSGARTEN,

DN. LUDOVICO SCHUMANNO,

DN. SALOMONI WAHL,

DN. REINHOLDO WIEDERO,

DN. GEORGIO SCHRADERO,

DN. JOHANNI PEGELAU,

DN. JOHANNI HENRICO

SCHWARTZWALD,

DN. JOHANNI GERH. BARTSCH

à DEMUTH,

DN. CAROLO FRIED. SCHMIEDEN,

*DOMINIS PATRONIS OPTIMIS, MAXIMIS, NEC  
NON PROMOTORIBUS ATERNO OBSERVANTIÆ  
CULTU PROSEQUENDIS, DEVENERANDIS,*

Primum hocce specimen theologicum, in debita gratitudinis ar-  
gumentum, & ulteriorem studiorum suorum promotionem,  
cum voto exoptatissimæ prosperitatis, submissè consecrat,

*subjectissimus eorum Cliens*

THEOPHILUS MAJUS, Gedan.

I. N. 7.  
 EXERCITATIONIS  
 HISTORICO-THEOLOGICÆ,  
 DE  
 CONCILIO GANGRENSI,  
 PARS PRIOR.

I.

**D**E Gangrensi Concilio acturi, ut res ordine geratur, antequam ad Canones accedamus, de *Loco, Tempore, Occasione, Assessoribus & Autoritate* ejus, quædam adferemus.

II. *Locus* Concilio nostro appellationem dedit: Gangrense enim dicitur, à Gangrà, seu Gangre, aut Gangris, Paphlagoniæ urbe, quam cave ne cum aliâ ejusdem nominis in Ponto, itemque Arabiâ felici confundas. Nostræ hujus mentionem faciunt Strabo *Lib. 12.* Plinius *Lib. 6. Hist. Nat. c. 2.* & Justinianus Imperator *Novel 29. c. 1.* In Collectione Conciliorum Petri Crabbe, & Laurentii Surii, nec non in Epitome Conciliorum Bartholomæi Carranzæ, & Gabrielis Prateoli, titulus ita se habet: *Concilium Gangrense, celebratum in Paphlagoniâ, seu regione Pelasgorum*: quam inscriptionem Severinus Binius retinuit, sed non sine protestatione: Nam in Notis addit: *Cum hoc Concilium, in Asia Minoris civitate, habitum fuerit, jure meritoq; è titulo expungendum esse arbitror, quod alius imprudenter eidem addidit, seu regione Pelasgorum, quæ teste Plinio aliàs Peloponnesus appellata, Græciæ*

A

in

*in Europâ peninsula est.* Ex Binio ista, totidem ferè ver-  
bis, non nominato autore, transcripta reperiuntur in  
Collectione Conciliorum Gallicanâ, omnium quæ ha-  
ctenus lucem aspexerunt, si molem librorum spectes, va-  
stissimâ T. 2. p. 510. Ludovicus vero Bailius, in Summâ  
Conciliorum, quæ alibi *de Regione Pelasgorum* extant,  
planè omisit; procul dubio, quòd ratione Binii se per-  
moveri passus est. Enimverò non omnino persuademur,  
ut credamus, ista ex merâ imprudentiâ, veterum Con-  
ciliographorum textui irrepsisse: Nam utut Pelasgi in Pe-  
loponneso habitarent, haudquaquam tamen solis Pello-  
ponnesi angustiis continebantur. Ecce Strabonis testi-  
monium Lib. 5. *Pelasgos gentem vetustissimam, per univer-  
sam Græciam, præsertim apud Æoliâ Thessaliâ excelluisse,*  
*cuncti fermè consentunt.* Et non multò post ait: *Rerum*  
*Atticarum scriptores, de Pelasgis tradidere, Athenis eos fu-  
isse, qui cum instar avium, quo sors vocaret, huc atq; illuc*  
*errabundi commearent, pro Pelasgis Pelargi, i. e. Ciconiâ*  
*vocati fuerint.* Sic Pelasgi etiam in Asiam Minorem pe-  
netrarunt, non diffitente Homero, apud quem Dolon  
de populis Asiæ Minoris, qui Trojanis contra Græcos  
reliquos auxilio venerant, inter alia inquit Iliad. L. 10.

Πρὸς μὲν ἄλλῃ Κάρεις καὶ Παίονες ἀγκυλύτοξαι,  
καὶ Λέλεγες καὶ Καύκωνες δῖοί τε Πελάσγοι,  
Πρὸς Θύμβρης δ' ἔλαχον Λύκιοι Μυσοὶ τ' ἀγέρωχοι,  
καὶ Φρύγες ἰππόδαμοι, καὶ Μήονες ἰπποκορυφαί.

*Ad mare quidem sunt Cares & Pæones, curvis arcibus  
utentes,*

*Et Leleges & Caucones, nobilesq; Pelasgi,*

*Ad Thymbra verò sortiti sunt Lycii Mysiq; superbi*

*Et Phryges equites & Meones equis armatis utentes.*

Quis

Quis hîc non videt, Asiaticis immisceri Pelasgos? Hos Poëta Cauconibus, Bithyniæ ad Parthenium fluvium incolis, jungit. Fluvius verò ille, juxta Strabonem L. 12. Paphlagoniam à Bithyniâ secernit; ut proinde, Pelasgorum nomine, Homerus ipsos Paphlagonos intellexisse videatur: quæ si recipias, jam Gangrense concilium, in Pelasgorum terrâ, id est in urbe, quam olim Pelasgi in Paphlagoniâ condiderunt, celebratum habebis.

III. Circa *tempus* Concilii nostri determinandum, mira opinionum varietas occurrit. Christophorus Helvicus, in Systemate Chronologico, ejus ad A. C. 317. mentionem facit. Henricus Spondanus, in Epitome Baronianâ, annum salutis 319. allegans, se Magistri sui sententiam sequi, *in notâ marginali* profitetur. At in Baronio ipso, nihil eorum reperies: quinimo cùm Spondanus æquè ac Baronius, Hosium Gangrensi Synodo interfuisse crediderint, ista historiæ Baronianæ, anni memorati, haudquam conveniunt; quippe in quâ Hosius tunc rem Ecclesiæ inter Ægyptios, Synodo Alexandriæ coactâ, curasse perhibetur. Plerique Conciliographorum, ut Crabbe, Surius, Bailius, Carranza &c. Synodum nostram ad A. C. 324. referunt; Prateolus ad A. C. 328. Joh: Ludovicus Ruelius in Concil. Illustrat. T. 2. ad A. C. 333. Jodocus Coccius in Thesauro Catholico ad A. C. 336. Baronius hæsitacionem suam in præsentî negotio ipse prodit. Quemadmodum enim, ex præsentîâ Hosii colligit, Synodum Gangrensem, in tempora Constantini M. & Sylvestri Papæ incidere; ita tamen addit: *Quoto potissimum anno Constantini fuerit celebrata, minimè apparet, ad A. C. 361. n. 44.* Baronium exactè sequitur Binius. Antonius Possevinus, *in Apparatu Sacro*, pariter annum deter-

minare non audet; censet verò Synodum nostram Nicenâ, quæ A. C. 325. habebatur, non multò juniorem esse. Nobis præsentia Hosii, ad quam, veluti ad sacram anchoram, Baronius cum asseclis confugit, argumentum pertine præbere videtur; quoniam de eâ nondum satis constat, prouti ex sequentibus patebit. Si autem Concilio nostro illum interfuisse largiremur, rem utique tangerent, qui Gangram A. C. 324. conventû hoc Ecclesiastico ornatam esse, sentiunt: Eodem quippe anno, Hosius, ad dirimendam de Paschate controversiam, in minori Asiâ, occupabatur. Verùm enim vero, tametsi viam nulli hæcenus, quantum nobis constat, tritam ingrediamur, speramus tamen nos à scopo non aberraturos, si Concilium Gangrense, multò quàm plerique alii credunt, recentius esse statuamus. Ansam sententiæ novæ dedit Socrates L. 2. c. 42. & 43. qui postquam de Synodo ab Acacianis Constantinopoli celebratâ, in quâ Macedonius & plures alii deponebantur, egisset, Eustathium à Patre suo Eulalio jam ante depositum, ne quidem admissum esse, testatur. Deinde pergit: *Eustathius POSTHÆC etiam in Synodo Gangrensi condemnatus est.* Et cum errorum Eustathii, quibus censuram Gangrensem promerebatur, indicem texuisset, ad Macedonium reversurus, filum narrationis abrumpit, inquiens: *Verum hæc POSTEA gesta sunt.* Quibus verbis manifestè indicat, se de Concilio nostro ibi per *πρόληψιν*, quam vocant, historicam dixisse; cum alioqui temporis ordinem observaturus, de Macedonii expulsionem prius agere debuerit. At Macedonii expulsio incidit in A. C. 360. proindeque Concilium nostrum non haberi potuit, nisi post A. C. 360. Quia autem Eustathius sede suâ à Patre motus, frustra restitutionem Constantinopoli, quæ-

rebat,



rebat, eandemque demum A.C. 365. pacificis Liberii Romani Episcopi literis ornatus, in Tyanensi Synodo inveniebat, colligimus, illum tamdiu secum habitasse, neque plures in Ecclesiâ, præsertim Asiaticâ, turbas movisse. Nam si intereâ Gangrensis in Paphlagoniâ, invec-tis tot novitatibus, ansam ad Concilium dedisset, Tyanenses in Cappadociâ, quæ Paphlagoniæ vicina est, nuper adeo & tam propè damnatum, superstite adhuc justæ indignationis argumento, haudquaquam recepissent. Videtur ergo Eustathius, post gratiam à Tyanensibus sibi factam, i.e. post A.C. 365. demum zizania ista, de quibus in posterum agemus, disseminasse: Quoto autem anno Gangrensis excommunicatio secuta fuerit, nos ignorare fate-mur.

IV. Ex dictis liquet, *occasionem* Concilio præbuisse Eustathium, quâ de re in Synodali Epistolâ prolixius edocemur. Hanc propterea integram proponemus, quia plurimum lucis ex eâ sequentibus affulgebit. Observandum verò, quòd inscriptio aliter apud Græcos, aliter apud Latinos exhibeatur. Juxta illos ita se habet: *κυρίοις π-  
μιωτάτοις ἐν Ἀρμενίᾳ συλλειτουργοῖς, Ἐυσέβιου, Αἰλιανός, Ευγέν-  
ιου, Ολύμπιου, Βιθυνικός, Γρηγόριου, Φιλητός, Πάππου,  
Ευλάλιου, Ἰπᾶπιου, Περαιρέσιου, Βασίλειου, Βάου οἱ συν-  
ελθόντες εἰς τὴν κτ' Γάλαξαν ἀγίαν σύνοδον, ἐν κυρίῳ χαίρειν.* Apud hos verò legimus: *Dominis honorabilibus, Consacer-  
dotibus in Armeniâ constitutis, episcopi Eusebius, Hypatius,  
Eulalius, Gregorius, Aelianus, Bithynicus, (seu Bytenius) O-  
lympius, Bassianus, Basilius, Philetus, Heraclius, Pappus, Eu-  
genius, Hosius (seu Osius) Cordubensis, Proeresius (seu Pro-  
serius,) Bassus (seu Presius,) qui convenerunt in Gangrensi  
Concilio, in Domino salutem.* Collectio Conciliorum Gal-

licana, æquè ac Biniana, circa finem Epistolæ monet, nomina Episcoporum ab aliis aliter enumerari & disponi, videlicet hunc ad modum: *Eusebius, Alpius* (seu *Alypius*) *Philetus, Eulalius, Pappus, Basilus, Bithynicus, Heracius, Ipatius* (seu *Hypatius*) *Bassus, Eugenius, Gregorius, Ælianus* (seu *Elianus*) *Pressus, Eugenius*: vel etiam ad istum: *Eusebius, Olympius, Ælianus, Basilus, Eulalius, Gregorius, Papius, Bassus, Eugenius, Bithynius, Heraclius, Presius*. Cæterùm ipsa Epistola, è Græco versa, hujus tenoris est: *Quoniam conveniens sancta Synodus Episcoporum, in Ecclesiâ Gangrensi, propter quasdam ecclesiasticas & necessarias causas inquirendas, & ea quæ secundum Eustathium gesta sunt, dignoscenda, invenit multa fieri indecenter ab his, qui eundem Eustathium secuti sunt, necessariòq; statuit, palam omnibus actis, amputare universa, quæ ab eodem male commissa sunt. Declaratum est enim, hos eosdem nuptias accusare, & docere, quod nullus in conjugali positus gradu, spem habeat apud Deum. Unde factum est, ut multe mulieres eos secuta, relictis propriis viris, & viri, uxoribus destituti, vinculum conjugale dissolverent, continentiam profitentes: quam cum retinere non possent, adulterium commiserunt. Inveniuntur etiam, discessiones ac separationes à Dominicis constitutis, in Ecclesiâ DEI docere, id est, traditiones ecclesiasticas, & ea quæ in Ecclesiis aguntur debere contemni, privatisq; conventiculis, institutis ad imitationem eorum, quæ in domo DEI aguntur, omnia præsumere celebrare: Adhuc etiam vestibus communibus spretis, novos etiam & insolitos habitus assumpsisse: Primitias quoq; fructuum & oblationes eorum, quas veterum institutio ecclesiis tribuit, sibi vindicasse, id est, propria ratiocinatione doctrina, tanquam sanctis, sibi eas offerri debere, apud se, &*  
inter

*inter se dispensandas: Servos à dominis recedentes, per hunc inusitatum religionis morem, dominos contempisse: Mulieres quoq̄, præter consuetudinem, & sui sexus ornatum, hinc se justificari credentes, virilem habitum suscepisse, pluresq̄ earum, occasione religionis tonsas, genuini decoris comas penitus amputasse: Fejunia, quæ in ecclesiâ predicantur, contemnenda asseruisse: Nonnullos eorum, etiam cibos carniùm, tanquam illicitos, reputasse: In domibus conjugatorum, nec orationes quidem debere celebrari, persuasisse in tantum, ut easdem fieri vetent, & oblationibus, quæ in domibus factæ fuerint, minimè communicandum esse decernant: Presbyteros verò, qui matrimonia contraxerunt, sperni debere dicunt, nec sacramenta, quæ ab eis conficiuntur, attingi: Loca sanctorum martyrum, vel basilicas contemnere, & omnes qui illuc conveniunt, reprehendere: Divites fideles, qui non omnibus renuntiant quæ possident, spem apud Deum non habere: Et multa alia, quæ enumerare nulli possibile est, singulos quoq̄ eorum, pro suo arbitrio constituere: Unumquemq̄ enim eorum tales institutiones, ab Ecclesiastico Canone recedentes, tanquam proprias leges sibimet condidisse. Sed nec communis his omnibus & una sententia est. Singuli enim, prout videtur & libet, ad accusationem ecclesiæ nitendo, tanquam rector non sit, vel addunt decreta, vel minuunt. Propterea ergo coactum est hoc Concilium, in Gangrensi Ecclesiâ habitum, ut Canones istos exponeret, quibus probantur, memorati extra ecclesiam esse. Quòd si per pœnitentiam condemnaverint omnia hæc, quæ malè senserunt, tanquam à se non benè prolata, acceptabiles fiant: atq̄ ideo singula quæ debeant condemnare, Synodus credidit exponenda. Quòd si quis renuerit hæc, quæ hodie constituta sunt, tanquam hæreticus & anathematizatus & damnatus abjiciatur.*

*Et*



Et erit non solum incommunicatus, verum etiam & ab ecclesia habeatur extorris, donec deprecetur episcopum, & de universis, quae penes eos detecta atque deprehensa sunt, proderit, quid horum susceperit observandum. Epistolae Synodicae, adjungemus alia Auctorum, de Eustathio testimonia. Socrates Lib. 2. c. 43. de eo scribit: Eustathius Sebastiae in Armeniam Episcopus, à Patre suo Eulalio, Caesarea Cappadocum Episcopo, jam antea depositus fuerat, eo quod vestem sacerdoti minimè convenientem, gestasset. Posthac etiam in Synodo Gangrensi, quae ipsius causam in Paphlagoniam collecta fuerat, condemnatus est, eo quod post condemnationis sententiam, adversus ipsum prolatam, in Synodo Caesareensi, multa contra leges Ecclesiasticas ageret. Nam & uxorem ducere prohibebat, & à cibis esse abstinendum, docebat. Unde multos quidem, qui matrimonia contraxerant, à conjugibus separavit: & illis qui Ecclesias aversabantur, suavitè, ut domi communicarent. Sed & servos pretextu pietatis, à Dominis suis abstraxit. Ipse verò Philosophi habitum gestans, sectatores suos, nova atque insolenti veste indui iussit. Mulieres quoque tonderi fecit. Et praescripta quidem jejunia fugienda esse, diebus verò Dominicis jejunandum, praecepit. Denique in adibus conjugatorum, preces fieri vetuit: & presbyteri uxorem habentis, quam dum esset laicus, legitimo matrimonio sibi copulaverat, benedictionem & communionem, instar piaculi declinandam, docebat. Haec & hujusmodi alia plurima, cum ille & faceret & doceret, Synodus Gangris in Paphlagoniam congregata, uti jam dixi, eum deposuit, ejusque dogmata anathemate damnavit. Et Sozomenus L. 3. c. 14. Apud Armenios & Paphlagonas & accolae Ponti, Eustathius Sebastiae in Armeniam Episcopus, monasticae conversationis autor fuisse dicitur, & de arctioris vitae disciplina, de

de cibis, quibus utendum aut à quibus abstinendum esset; de vestibus, quibus uti oporteret; de moribus; deniq; & exactâ vivendi ratione, præcepta tradidisse. Adeo, ut quidam affirmant, librum Asceticum, qui Basilio Cappadoci vulgò adscribitur, ab isto conscriptum fuisse. Præ nimia autem severitate, ad absurdas quasdam observationes prolapsus esse dicitur, ab Ecclesiasticis legibus plurimum discrepantes. Alii tamen, ipsum quidem hæc culpâ liberant: quosdam verò ex ejus discipulis accusant, qui nuptias damnarent, & in edibus conjugatorum orare recusarent, & Presbyteros, qui uxores duxissent, contemnerent, & diebus Dominicis jejunarent, & in privatis edibus collectas agerent, & eos qui carnes ederent aversarentur: & tunicas quidem, ac vestitum vulgò ab omnibus usurpatum, indui detrectarent; peregrinâ verò & inusitatâ veste uterentur, aliâq; hujusmodi plurima innovarent. Unde mulieres, haud paucas in fraudem inductas, viros suos deseruisse ajunt; easq; cum se postea continere non possent, adulterium commisisse: quasdam verò pietatis pretextu comam totondisse, & secus quàm mulieres deceret, virili habitu indutas fuisse. His de causis, cum Episcopi finitimi, Gangris, quæ Metropolis est Paphlagonia, in unum convenissent, eos ab Ecclesiâ Catholicâ alienos esse decreverunt, nisi suprâ dicta dogmata sigillatim condemnarent &c. Hæc ipsa Sozomeni, non nisi verbis aliquantulum mutatis, repetit Nicephorus L. 9. c. 16. Quæ quidem ideo prolixius adducere placuit, ne deesset, quod Baronio validè opponeremus.

V. Ille enim ad A. C. 361. n. 44. seqq. pervicaciter negat, Eustathii Sebasteni gratiâ, institutum esse Concilium nostrum, adè, ut pro Eustathio Eutaetum illum, cujus Epiphanius Hæres. 40. meminit, substituendum esse ha-

B

riole-

rioletur. Rationibus verò nititur planè elumbibus, quas ordine, appositâ singulis responsione, diluemus. Urget (1) quòd Basilius Magnus, tametsi post tempora Concilii nostri, sub Valente Imperatore, in duabus Epistolis, nempe LXXIV. & XXCII. *cunctas Eustathii Sebasteni turpitudines in unum congesisset*, de hæresibus hisce & damnatione Gangrensi, fileat. Resp. Quòd Basilius turpitudines Eustathii congesserit, ex Epistolis allegatis videre est; nequaquam verò, quòd omnes turpitudines. Neque enim aliud quicquam de Eustathio refert, nisi quòd olim ab Ario institutus, tametsi aliquoties, atque non ita pridem à Liberio Romanorum Episcopo reversus, in Tyanensi Synodo consensum cum orthodoxis simulasset, semper tamen ad vomitum redierit, & cùm antea Homousiam Filii tantùm impugnasset, nunc etiam divinitati Spiritus S. adverteretur. Quis ex eo colliget, non plures fuisse Eustathii errores? Quis seriò causam agens, à silentio Scriptoris ad rei negationem concludet? Accedit & illud, quòd Basilius hæ epistolæ, ante Concilium nostrum, quòd Tyanensi Synodo pluribus fortè annis recentius fuit, imò & ante publicam hæreseos Eustathianæ manifestationem, scriptæ videntur; ut proinde Basilius in Eustathio carpere nequiverit, quòd post ea tempora demum erupit. (2) Quòd Eustathius Sebastenus, in pluribus Synodis, ob solum Arianismum, damnatus fuerit, nullâ unquam querela de iis, quorum in Gangrensi Synodo arguitur, auditâ; quòdque Liberius Papa, ab eo solùm fidei Nicenæ professionem, non autem peculiarem ejusmodi errorum novorum detestationem, exegerit: id quòd tamen procul dubio factum esset, si quid, præter Arianismi contagium, reprehensione digni in eo repertum fuisset. Resp. Concilia illa, in quibus

bus damnabatur Eustathius, ut & quæ apud Liberium gesta sunt, novæ hæreseos introductionem præcesserunt: de futuris autem quid judicasset Ecclesia? (3) Quòd nullus antiquorum, qui hæreticorum catalogos scripserint, ut Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Damascenus, in Eustathio Sebasteno, hanc infamiæ notam agnoverint? Resp. Nec quisquam alius, ab iisdem memoratur, qui tot errorum monstra, quot à Gangrensi Synodo conficiuntur, in Ecclesiam introduxerit. Quemadmodum ergò, juxta Baronium, alius esse potuit, hæreseos novæ conditor, etsi ejus Scriptores isti non meminerint; ita pariter nihil obstat, quòd minùs Eustathius idem ille sit, quamvis eum Historici prætereant. Videlicet rursus, à silentio Scriptorum, ad rei negationem, non valet consequentia. Fortè autem Scriptoribus non defuit causa silentii: quia quæ Gangræ in Eustathio damnabantur, auctâ cum Monachis superstitione, successu temporis, pietatis nomen acceperunt. (4) Quòd librariorum culpâ, Eustathius scriptus fuerit, pro Eutacto, Armeniæ Monacho, cujus successores, ut est apud Epiphanium Hæresi 40. n. 1. 2. *jejunia simulantes, Monachorum specie, simplicioribus illudebant, ac bonorum abdicationem jactitabant.* Resp: Si in uno tantùm autore Eustathii mentio occurreret, fieri illud, quod fingitur, potuisset. Quis autem credet, in tot diversorum Scriptorum codicibus, librariorum ubiq; veluti conspiratione factâ, impegisse? Ut nihil de eo dicamus, quòd Epiphanius Eutactum pro Archonticorum Promacho venditet, ejusdemque deliria pluribus exponat; de quibus, cùm nihil in Epistolâ Synodicâ, in quâ ex professo, ejus qui damnandus erat, errores deteguntur, extet, certum est, Hæreticum Gangræ abjectum, non fuisse

Eutaetum. Nemo enim sibi persuaderi patietur, Patres ibi congregatos, levioribus maculis detergendis operam dedisse, gravioribus & turpioribus, quales Archonticorum erant, præteritis & relictis.

VI. *Assessores* Concilii nostri, in Græco Epistolæ Synodicæ textu, nominatenus exprimuntur XII. Latinus verò Interpres tres addidit, prouti ex antea allatis constat. Inter hosce tres (nec tamen in omnibus editionibus) occurrit Hosius Cordubensis, quem Baronius, ut more suo Curia Romanæ adularetur, Pontificis Gangræ Legatum fuisse fingit; illo præcipuè usus argumento, quod Sylvester Papa, Hosium initio propter Arium in Africam, atque deinceps etiam, ad componendos de Paschate motus, in Asiam Legatum miserit. Cùm igitur in Asia versaretur Hosius, ad Paphlagonas, ut Pontificis Romani vices suppleret, Synodi habendæ gratiâ, ex mente Baronii excurrit. Vid. ad A. C. 361. n. 44. itemque ad A. C. 324. n. 160. & ad A. C. 318. n. 89. Nos verò alia docuerunt antiquiores Historiæ Ecclesiasticæ conditores, qui Hosium non à Papâ, sed ab Imperatore, cùm in Africam, tum in Asiam, ablegatum esse referunt. Sic enim de priori itinere Socrates L. I. c. 7. *Imperator cùm audisset (de controversiâ Arianâ) gravissimo dolore perculsus est, suamq; esse dicens hanc calamitatem, eo incubuit, ut excitatum malum quamprimum restingveret. Proinde literas misit ad Alexandrum & Arium, per virum spectatæ fidei, Hosium nomine, Episcopum Cordubæ, quæ Hispania civitas est: quem quidem Imperator & amabat & colebat plurimum: De utroque autem itinere Sozomenus L. I. c. 16. inquit: Duabus contentionibus (nempè Arianâ & Paschali) Ecclesiam liberare studebat Constantinus. Et quoniam*



niam malum, priusquam ad plures serperet, prævenire se posse existimabat, virum, quem in comitatu suo habebat, fidei ac vitæ integritate conspicuum, & qui superiori tempore, variis confessionum certaminibus, pro religionis defensione inclaruerat, à latere suo mittit, qui ad concordiam reduceret tum illos, qui in Ægypto, de doctrinâ fidei dissentiebant, tum eos, qui in Orientis partibus, de festivitate Paschæ discrepabant. Is erat Hosius Episcopus Cordubæ. Socrati atque Sozomeno fidem habuit Johannes Quintinus, qui Parisiis A. C. 1560. Commentarium ad Synodum Gangrensem, luci publicæ commisit, è quo ea, quæ ad Epistolam Synodicam spectant, Bailius in Summâ Conciliorum à se editâ, repetit. Ille igitur rectè agnoscit, Hosium à Constantino missum esse: cum verò istud ad ipsum quoque Concilium nostrum extendat, in hoc uno à sententiâ ejus discedimus. Neque enim Hosius, vel à Constantino, vel à Sylvestro ad conventum aliquem mitti potuit, qui (si, ut spes nostra est, superius calculum rectè posuimus) post mortem Constantini & Sylvestri demum celebrabatur. Nec opus fuit autoritate Legati, à Romano Episcopo mittendi, apud eos, qui Romanum Episcopum non pro capite & domino, sed pro coëpiscopo, ejusdem omnino secum potestatis & ordinis agnoscebant. Ponamus tamen, animi gratiâ, adfuisse ejusmodi Legatum; quis credet partes illas pertinuisse ad Hosium? qui ut de Græco exemplari taceamus, ne quidem in omnibus Concilii nostri editionibus Latinis, inter Episcopos, qui Gangræ convenerunt, nominatenus exprimitur, atque ubi ejus mentio fit, vix decimo quarto loco ponitur; cum Romani Legato Episcopi sui, primam ubique sedem vendicent.

VII. *Auctoritas* Concilii hujus magna apud Lutherum est; nec si vel maximè conentur, à Pontificiis sperni potest. Lutherus quidem, cùm Johannes Kymeus, Homburgensium in Hasfia Pastor, A. C. 1537. Acta Gangrensis, in Germanicam linguam translata, Witebergæ typis subjiceret, libellum præfatione honorificâ ornavit, quæ etiamnum T. 6. Jenens. Germ. f. 528. seqq. legitur. † Pontificii autem, quid obtinerent, adversus Canones, toties & tam validè approbatos? Non dicemus de Concilio Trullano posteriori, quod & Synodus Quinisexta appellatur, in cujus Canone II. ea, quæ Gangris conclusa sunt, recipiuntur. Attendamus tantùm, quid Romani Pontifices è cathedrâ, quod ajunt, decreverint. Baronius ipse fatetur, Symachum Papam, in Synodo VI. Romanâ, agnovisse, *Canones Gangrenses Apostolicâ auctoritate*

† In præfatione illâ, inter alia extat: *Disß Gangrense Concilium ist der besten eines; wiewol es nicht ein General, sondern ein klein National Concilium gewesen ist / doch gleichwohl auch in einem jeglichem Stücke / besser denn alle Concilia, so der Babst je gehalten hat. Denn hie siehestu doch / wie diese recht Geistreiche Bischöffe / zu den rechten Sachen greiffen: aber in des Babsts Conciliis, ist der nöthigste Handel / welcher Cardinal über den andern / welcher Bischoff der höheste seyn soll / und des Gauckelwercks ohne Zahl und Maasse. Ja solten diese heilige Bischöffe in des Babsts Conciliis solche Dinge wollen handeln / wann Teuffel / wie dünne Aschen solten sie durchs Feuer werden: aber Gott sey Lob / Ehr / und Danck / der durch solche und ihrer gleichen heilige Bischöffe / so lange zuvor den schändlichen Babst / mit seiner falschen Heiligkeit / im Essen / Kleiden / Eheloser Unkeuschheit etc. gestiftet / verdammet hat / darin man siehet / wie das Babstthum fast alle Kezerey / so wieder Christum getobet / angenommen / und eine Grundsuppe daraus gesamlet hat / alle Welt zu verführen / da jene allein / etliche Stücke in Ländern verführet haben.*

*ritate conditos esse, ad A. C. 361. n. 44. Post hunc Leo IV. cum aliis sanctorum Conciliorum regulis, etiam Canones Gangrenses, in omnibus Ecclesiasticis judiciis, vim habere jussit; id quod parti primæ Decreti insertum, exhibetur Dist. 20. c. de libellis. Quid quod plerique Canones, in jure Canonico repetuntur; nisi quod Gratianus, fatente Binio, versionem non usquequaque genuinam secutus fuit, & aliqua nunc addidit, nunc detraxit; de cujus fide, in observationibus ad Canones, dispiciendi occasio offeretur.*

VIII. Quod igitur DEUS benè verat, jam ad ipsos illos *Canones* progredimur. Hos in Originali, i. e. Græcâ lingvâ ediderunt Johannes Tilius, in Collectionibus Decretorum Synodaliū; Christophorus Justellus, in Codice Canonum Ecclesiæ universæ; Collectores Conciliorum Gallicani &c. Latinæ autem versiones tres, in totidem columnis, *ἑλληνικῶς* sibi respondentes, extant apud Binium, Conciliorum T. I. p. 384. seq. Prima adscribitur Dionysio Exiguo; Altera autem Gentiano Herveto; Tertiam in ordine, quæ ibi sine Autoris nomine proponitur, Gallicana Collectio tribuit Isidoro Mercatori. Ex his versio Hervetiana, quoniam ad Græcū textus veritatem quàm proximè accedit, à nobis adhibebitur. Esto proinde

## C A N O N I.

SI quis matrimonium vituperet, & eam, quæ cum marito suo dormit, quæ est fidelis & religiosa, abhorreat & infimulet, tanquam quæ non possit regnum DEI ingredi, sit anathema.

I. Pri-

1. PRIMUS error Eustathii, juxta Synodalem Epistolam, fuit, quòd *nuptias accusaret, doceretq̄, nullum in conjugali positum gradu, spem habere apud DEUM.* Hæc de viris æquè ac de mulieribus intelligebat: Quòd verò in hoc canone tantùm de fœminis agitur, idèd videtur factum, quia, qui plerorumque hæreticorum mos est, Eustathius plures ex *mulierculis captivas duxit.* Confer. 1. Tim. III. 6. De viris tamen expressè etiam præcipitur in Canone 10.

2. Repetitur Canon hic in Jure Pontificio, Dist. 30. c. *Si quis nuptias* & Dist. 31. c. *Si quis vituperat.*

3. Ratio Canonis est: Quia (1) DEUS ipse matrimonium, in statu innocentix, instituit, atque in eo conjugale opus exercere jusit. Gen. I. 27, 28. II. 22, 23. (2) Paulus matrimonium *honorabile, & thorum* (in quo uxor cum marito dormit) *immaculatum* vocat. Hebr. XIII. 4. Quicquid verò honorabile & immaculatum est, id vituperabile & abominabile haberi nequit. (3) Idem uxori præcipit, *ut viro debitum conjugale reddat;* similiter ac vir istud jubetur præstare uxori. 1. Cor. VII. 3. Uxor ergò, quæ cum marito dormit, Spiritui S. qui per Apostolos locutus est, obsequitur. (4) Mulier *salvari* legitur, tametsi liberos generet. 1. Tim. II. 15. Ergò insimulari nequit, quasi proptereà, quia cum viro dormit, regnum DEI ingredi non possit. (5) Petrus expressè Mulierem, *viro cohabitantem,* pro *coherede gratia vite agnoscit.* 1. Petr. III. 7. Quo igitur colore juris, à regno DEI arceretur?

4. Caveant sibi ab anathemate Canonis hujusce, qui de matrimonio, aut de actu conjugali, aliter, quàm par est, sentiunt. Sic in Jure Canonico, Dist.

83. c. *Proposuisti*, ad conjugatos refertur istud Pauli: *Qui in carne sunt, DEO placere non possunt. Dist. 32. c. Hospitiolum, extat: Non potest toto corde cum DEO habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Item: Si bonum est mulierem non tangere, malum ergò est tangere. Dist. 28. c. 2. Clericis idè conjugium interdicitur, quòd indignum sit, eos cubilibus & immunditiis deservire. Ex quo nemo non videt, conjugium pro immunditiâ haberi. Causâ 32. Qu. 2. c. *Connubia*, negatur, tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentiam Spiritûs Sancti dari, etiamsi Propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur. Juxta Bellarminum de Clericis c. 18. *Actus conjugalis hominem reddit TOTUM carnalem & ineptum ad divina. At qui totus carnalis est, ille, juxta Pauli sententiam, regnum DEI ingredi non potest. Rom, IIX. 13. Gal, V. 19, 21. &c.**

## CANON II.

**S**I quis eum, qui carnem, præter sangvinem & Sidolothythum & suffocatum, cum pietate & fide comedit, condemnat, tanquam eo, quòd eâ vescatur, spem non habeat, sit anathema.

1. **I**N Concilio Hierosolymitano, Act. XV. 29. de abstinentiâ à sanguine, idolytho & suffocato, lex præ tempore ferebatur, ut cum Israëlitis Gentes, propter angularem illum lapidem, duos parietes in se condentem, aliquid communiter observarent; quæ Augustini verba sunt, L. 32. contra Faustum Manichæum, c. 13. Exacto igitur tempore illo, cum DEUS politiam Judæorum Ecclesiasticam evertisset, tametsi cum ratione legis, ipsa etiam

C

lex

cessaret, eadem tamen in Oriente adhuc à Christianis plerisque observabatur, imò & hodiernum observatur: quibus adeò libertas faciendi, quod hac in parte placeret, relinquitur. Vid. Exercitatio nostra de Concil. Hierosolymitano. c. 43. n. 4. &c. 49. n. 5. In reliquis autem verbis, affectu Eustathii notantur, quorum nonnulli, ut Synodalis Epistola habet, *cibos carniū illicitos reputabant; & juxta Sozomenum, eos, qui carnes ederent, averfabantur.*

2. Repetitur Canon hic in Jure Pontificio, Dist. 30. can. *Si quis carnem.*

3. Ratio Canonis est: Quia (1) Christiani *non debent judicari propter cibum* Col. II. 16, 17. utpote qui *mortui sunt cum Christo, ab elementis mundi, atque idcirco prohibentur, tanquam viventes in mundo, decernere: ne tetigeris, ne gustaveris, ne contrectaveris &c.* Ibid. v. 20, 21. (2) DEUS *cibos & potus, similesq; justitias carnis, imposuisse legitur, usq; ad tempus correctionis, quod Novi Testamenti est.* Ebr. IX, 10. (3) Christus ipse docet, *quod intrat in os, non polluere hominem.* Matth. XV. 11. (4) *Regnum DEI negatur esse esca & potus,* Rom. XIV. 17. (5) *Jubemur, quod in macello venit, manducare* I. Cor. X. 25. (6) *Apostolo judice, doctrina demoniorum est, qua precipit abstinere à cibis, quos Deus creavit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem: cum omnis creatura DEI bona sit, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* I. Tim. IV. 1. 3, 4.

4. Caveant sibi ab anathemate Canonis hujusce, qui *cibos carniū, tanquam certo tempore illicitos, sub mortali, ut vocant, peccato prohibent, nosq; cum pietate*

&c.

*Et fide comedentes, tanquam spem non habentes, condemnant.* Sic Sleidanus Histor. L. 12. auctor est, A. C. 1538. Parisiis juvenem nobilem, patriam Tolosanum, propter esum carnis, ut hæreticum, exustum esse. Quid periculi viatoribus in Masoviâ & alibi immineat, si contra interdictum, aliquid carnis, ex perulâ promant, plures magno suo malo experti sunt. Ad minimum Pontificii stomachantur, ringuntur, spuunt, maledicunt, si carnem, quando ex eorum opinione vitanda est, comedi videant: id quod haud obscurum condemnationis indicium præbet.

## CANON III.

**S**I quis docet, servum, pietatis prætextû, Dominum contemnere & à ministerio recedere, & non cum benevolentiam & omni honore Domino suo servire, anathema sit.

1. **D**E Eustathio Socrates testatur, quòd *servos pietatis prætextû, à Dominis suis abstraxerit.* Servi autem ipsi (quæ Synodalis Epistolæ verba sunt) à *Dominis recedentes, per hunc inusitatum religionis morem, Dominos contemnebant.* Nempe Eustathius & servis persvadebat, ut Dominos relinquerent, & fugitivis, ut tutò Dominos contemnerent, asylum in Monasterio suo præstabat.

2. Canon hic in Jure Pontificio repetitur, Causâ 17. Qu. 4. c. *Si quis servum.*

3. Ratio Canonis est: Quia (1) omnibus sine exceptione prohibetur, *concupiscere servum proximi sui* Exod. XX. 18. Id verò negligunt, qui servis à *ministerio recedere*

dere jusis, cœtum suum augere conantur. (2) Servis, etiam Christianis, præcipitur, ut obediant Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placituri, sed ut servi Christi, facientes voluntatem DEI ex animo. Eph. VI. 5, 6. Col. III. 22, 23. (3) Apostolus expressè monet: *Servus vocatus es? Non sit tibi cura. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini.* I. Cor. VII. 21, 22. Addit equidem: *Si potes fieri liber, magis utere:* in quibus tamen verbis, non nisi ordinatum libertatis amorem concedit, videlicet, ut qui consentiente Domino, libertatem consequi potest, eam non aspernetur. Hinc Paulus Onesimum servum, Philemoni Domino, à quo aufugerat, remittit, scribens: *Volebam eum mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii: Sine sententiâ autem tuâ, nihil volui facere, ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Philem. v. 13, 14.

4. A fulmine hujus anathematis, Pontificii videntur immunes, utpote quorum Doctores Canonici, discretè tradunt: *Servum sine licentiâ Domini, Religionem, i. e. vitam monasticam, ingressum, profiteri non posse:* De quo, allegatis aliorum etiam Autorum testimoniis, agit Antonius Diana P. 7. Tr. 7. Resol. 60. Enimverò si dicendum quod res est, hypotheses tamen fovent, quibus Canon nostro apertè derogatur, atque anathemati ejus fenestra aperitur. Nam (1) jus asyli pro servis non minus, quàm pro liberis hominibus, tribuunt Ecclesiis; prouti ex Jure Pontificio constat, Causâ 17. Qu. 4. c. *Nullus Clericorum.* Vid. Summa Diana Tit. *Immunitas*.



*nitatis Ecclesiastica* n. 12. Item Tit. *Servus* n. 41. (2) Servum, si Domino ignorante vel contradicente, majores ordines susceperit, à potestate Domini, in iis, quæ sacerdotalem statum dedecent, liberum esse jubent. Vid. Summa Diana Tit. *Servus* n. 40. (3) Omnes eos mortaliter peccare pronunciant, qui aliquem à proposito *religionis*, id est vitæ monasticæ, retrahunt: id quod Dominos etiam, qui servos è Monasterio repetunt, ferire videtur. Vid. Navarri Manuale c. 12. n. 44.

## CANON IV.

SI quis de Presbytero, qui uxorem duxit, contendat, non oportere, eo sacra celebrante, oblationi communicare, anathema sit.

I. DE Eustathianis, quibus Canon iste opponitur, in Epistolâ Synodali legimus: *Presbyteros, qui matrimonia contraxerunt, sperni debere dicunt, nec sacramenta, que ab eis conficiuntur, attingi.* Cæterùm de sensu Canonis & mente ipsius Eustathii, litem movent Pontificii. Baronius enim ad A. C. 361. n. 55. de Eustathio narrat, quòd inculcaverit, *Presbyteros illos contemnendos, qui ALIQUANDO habuissent uxores.* Eò etiam tendit Bellarminus, de Clericis c. 21. ubi Gangrenses intelligendos esse tradit, *de Presbyteris, qui uxores habuerint, sed ab illis se contineant.* Binii notam ad Canonem hunc, integram adducemus: *Eustathiani ita horrebant nuptias, ut etiam Presbyteros, qui uxores habuerant, ferre non possent, etiamsi viventibus adhuc, maritali consortio non cohabitarent.* Unde quàm ineptè hic Canon, ad celibatum clericorum impugnandum, ab hereticis usurpetur, nemo non videt: si-

C 3

quidem

*quidem in eo agitur tantum de Presbytero, qui uxorem habuit: Habentis autem uxorem, nulla mentio fit. Haecenus ille. Nobis è contrario, qui de continuato Presbyteri matrimonio sermonem esse censemus, patrocinatur Socrates, de Eustathio scribens: (Πρεσβύτερος γυναῖκα ἔχων) &c.) Presbyteri UXOREM HABENTIS, quam dum esset laicus, legitimo matrimonio sibi copulaverat, benedictionem & communionem, instar piaculi, declinandam censebat. Huic igitur errori, Canon, in quo explicando defudamus, opponebatur; id quod & Balsamon agnoscit, cujus ista, interprete Herveto, verba sunt: *Præsens Canon eos anathematizat, qui non indistinctè communicant sacris sacerdotum, qui HABENT UXORES.* Accedit, quòd in Asiâ Minori, usus uxorum Presbyteris, ab illo tempore, usque ad hodiernum diem, integer manserit: ut proinde non possimus non credere, libertati isti, oblatâ tam commodâ occasione, à Gangrensis fuisse consultum. Inter eos certè, qui, non obstante Ecclesiastici muneris sanctitate, in seculo IV, ad quod Concilium nostrum pertinet, uxores habuerunt & retinuerunt, duo Gregorii eminent. Alter Nazianzi Episcopus fuit, qui Gregorium Theologum, ejusque fratrem natu minorem, Cæsarium, sacro ministerio jam fungens, genuit; prouti ipse Gregorius filius testis est, qui, in *Carminè de vitâ suâ*, se à Patre, hunc in modum esse compellatum, perhibet:*

*Nondum tot anni vitæ totius tuæ,*

*Quot in sacris mi sunt peracti victimis.*

Alter verò, ab Episcopatu Nyssenus vocatur, de cujus æquè ac de aliorum ejusdem ætatis matrimonio, conferatur Calixtus in *Tract. de Conjugio Clericorum* p. 167. seqq. Ipsa etiam Nicæna Synodus, libertatem hanc Presbyterorum, consensu suo firmavit, de quâ in Jure  
Ponti-

Pontificio Dist. 31. c. 12. legimus: *Nicæna Synodus, corrigere volens hominum vitam, in Ecclesiis commorantium, posuit leges, quas Canones vocamus, in quorum tractatu videbatur introducere legem, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi cum conjugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgens autem in medio Paphnutius confessor contradixit, honorabiles confessus nuptias; & castitatem esse dicens, cum propriâ conjugē concubitus, suavitē Concilio, ne talem poneret legem: gravem esse asserens causam, quæ in ipsis, aut eorum conjugibus, occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius (licet nuptiarum esset inexpertus) exposuit: Synodusq; laudavit sententiam ejus: & nihil ex parte sancivit: sed hoc in uniuscujusq; voluntate, non in necessitate dimisit.*

2. Repetitur Canon hic in Jure Pontificio, cujus Compiler, à sententiâ nostrâ non abhorruisse videtur. Ita enim ille Dist. 38. Can. 15. *Si quis discernit Presbyterum CONJUGATUM, tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideò se abstinet, anathema sit.*

3. Ratio Canonis est: Quia (1) conjugium pronuntiatur esse *honorabile in omnibus*. Hebr. XIII. 4. (2) Paulus 1. Tim. III. ab Episcopo requirit, ut sit *unius uxoris vir*. v. 2. *ut domui suæ benè præsit, filiosq; habeat subditos*. v. 4. *ut uxor ejus sit pudica*. v. 11. Eadem repetuntur Tit. I. 6. (3) In Veteri Testamento, summi Sacerdotes in conjugio vixerunt. Levit. XXI. 13. in Novo autem Apostoli, Matth. XIX. 14. 1. Cor. IX. 5.

4. Caveant sibi ab anathemate Canonis hujusce, qui Presbyterium & Conjugium, invicem consistere posse negant. Sic apud Pontificios, ne quidem mortuâ uxore,

re,

re, cuiquam aditus ad sacerdotalem dignitatem patet, citra dispensationem certâ pecuniâ redimendam, prouti in Taxâ Pœnitentiariâ Romanâ capit. 10. & 11. præcipitur. Uxorem verò ducere aut habere, in Presbytero grande nefas & morte piandum censetur, de quo exstant querelæ majorum nostrorum, in Apologia August. Conf. Art. 11. p. 236. seq. Decerpemus, ex ipsis etiam adversariorum pratis, flosculos aliquot. Sic in Jure Canonico Dist. 33. c. *Erubescant*, perhibetur *judicio Spiritûs S.* decretum esse, *ut, qui in sacris ordinibus, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, nisi mulieres abjecerint, excludantur ab omni eorundem graduum dignitate.* Bellarminus de Clericis c. 19. tradit, *votum continentia annexum esse ordinibus sacris, ita, ut nec ducere uxores, nec uxoribus antea ductis uti liceat, post ordinationem:* Idem, circa finem capituli illius, scribit, *Conjugium Sacerdotum, sacrilegium, non conjugium esse.* Et L. 1. de Sacramentis in genere c. 5. ait: *Conjugium Sacerdotum illegitimum est & solo nomine conjugium, re autem ipsâ sacrilega impudicitia.* Præter Campegium, Pighium, Eccium & Hosium, Costerus quoque Enchirid. Tit. de Cælibatû c. 19. prop. 9. statuit, *Sacerdotem gravius peccare, si contrahat matrimonium, quàm si fornicetur, aut domi concubinam foveat:* quam sententiam Armandus Jesuita, Epist. 1. ad Chamierum, *doctrina Christi & Apostolorum, omnibusq; Conciliis & Patribus maxime consentaneam esse, perhibet.* Espensæus L. 1. de Contin. c. 12. exempla Sacerdotum, ob matrimonium combustorum, recenset.

SOLI DEO GLORIA!

Corollaria à RESPONDENTE adjecta.

- I. Polygamia Christianis est interdicta.
- II. Sacerdotibus, unâ uxore defunctâ, alteram ducere licet.
- III. Consensum Parentum, ad nuptias liberorum, ipsa exigat necessitas.

---

Ad Præstantissimum Respondentem,  
Auditorem meum, diligentiae ac modestiae nomine,  
quàm commendatissimum.

Quæ Gangris quondam, divino consona verbo,  
Tradidit in Domino consociata cohors,  
Nunc sordent passim: sterilis zizania meslis,  
In multis largè jam dominatur agris.  
Æra à damnatis discernere perge lupinis,  
Nomine sic, MAJI, reque beatus eris.

*Cum voto felicissimorum in studiis successuum f.*

SAMUEL SCHELGUIGIUS, D.  
Disputationis Præses.

---

Ὡς ἀνακῶς ἔμαθες καλὰ γράμματα, φίλτατε, νυνὶ,  
Δείξῃσιν προκοπῇ, ὦ Θεόφιλε, περὶ.  
Ἐμμενε καὶ πόρρω τέτοις, ἰδρῶτα δ' ὀπηδεῖ  
κῦδ' πάλυπλοκον πάντοτε, ἠδὲ κλέος.

ἐπιπεργήσας ἔγραψε

WOLFGANGUS ROSTEUSCHERUS,  
Gr. L. Prof.

---

Non satis est mansisse domi, sacrisque vacasse  
Musis, ac doctis se poluisse libris:  
Nî quoquè, quid valeant humeri, quid ferre recusent,  
Exploret Cultor strenuus Aonidum.  
Strenuus Aonidum meritò & Tu Cultor haberis,  
O Maji! ὦ animæ pars quotacunque mea.  
Quid latitas igitur, doctorum quidve virorum  
Scripta legis, memori & pectore lecta tenes?  
Nonne etiam prodire juvat, largasque secundo  
Numine publicitus proderè mentis opes?

Alt

Ast quæ verba loquor? *Tua* jam nos pagina pulchrè,  
Non latitare domi *Te* voluisse, docet.  
Perge igitur: da plura *Tui* documenta capacis  
Ingenii, dabit & præmia certa DEUS.

*Levidenses hosce Elegos, Pereximio Dn. THEOPHILO  
MAJO, Conjugalino suo, & in Athenæo patrio quon-  
dam Commilitoni suavissimo, Amico plusquam Pylæo,  
Ὁφθαλμίας καὶ συγγράματι ἐν αὐτῇ fudit Gryphiswaldia*

DANIEL Græde / Dantiscanus.

PATRES, quantumvis vanos, Synodosque crepare  
Infausto satagis gutture, rafa cohors.  
Ecce Patres sanos MAJUS, synodumque decentem  
Pandere, doctiloquo suscipit ore, tibi.  
Hos Patres, synodumque duces si seligis, haud est,  
Quòd solito pergas more crepare Patres.

*Præstantissimo Dn. Respondenti, Cathedram publicam  
primùm conscendenti, pauca hæc  
adjecit*

JOH. KENCKEL, Fischauf. Pruss.

EN MAJUS molitur opus vel nomine *Majus*,  
Dum rapit è tenebris justa Statuta Patrum;  
Illorumque manente usû præscindit abusum,  
Exemptis sanis, linquere prava docens.  
Hinc meritò Musæ cantû gratante precantur:  
Egregios Ausûs gratia Dîa juvet!

*Testandi erga Pereximium Dn. Respondentem, Amicum  
suum optimum, boni affectus causâ,  
scr.*

SALOMO HENSELIUS, Lignic. Sil.

**I**n dem *Er* / Werther Freund / wil der Natur nachahmen /  
Die jeto überall die Früchte leget ab /  
Wie auch der klugen Welt darbiethen seinen *Nahmen* /  
Damit *Er* nicht so bald verfall' ins finstre Grab:  
So wünsch' ich Glück darzu / es müsse wohl gelingen!  
Was *Er* bey sich bedacht / müß' endlich Früchte bringen.

*Dieses wolte / aus wol meinendem Gemüthe / hinzusetzen  
Dessen jederzeit Dienst-verbundener*

DANIEL COSA, Olsnens. Sil.



ULB Halle

3

002 373 289



S. 6.

V. 17



